



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Tendere in Deum quid sit, quomodoq[ue] quisq[ue] conniti id debeat:
exercitijs cuiusmodi præcipuè religiosus ac Prælatius se occupare debeat.
Epist. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

huc plangitis, si adhuc doletis, tam vobis quam illi facitis iniuriam: quia nec illius, nec vestram pensatis felicitatem, & Deo pro gratiarum actione referitis contumeliam. Quapropter deponite tristitiam, excutite mœrorem, expergiscimini & præparate vos ad iter, expectat vos sequentem: Sic currite, sic viuite, vt apprehendatis: certus quod perexigua mora est, & modica dilatio, donec iterum videatis eam Si ad regis Hispaniæ curiam esset profecta, & vobis necessarium esset sequi, num lugeretis? minimè. Quinimò si alioqui molestam esset, iam fieret optatum illuc pergere, vt hac occasione rursus dilectæ iungeremini. Ecce & hic simile. Dilectæ vestra ad superni & æterni regis curiam profecta est, ac vobis sequendum, & idè gaudendum est, non flendum: gaudete igitur, & properate. Si diligitis eam, gaudete quia ad meliora transiit. Si illi cupitis adherere, piè viuendo properate post eam, quia & ipsa hoc magnoperè desiderat. Melius enim est, vt sitis vbi ipsa est, hoc est vbi iperatur esse, quam vt sit illa, vbi vos estis. Satius est, inquam, vt cum beata sitis & ipse beatus, quam quod vobiscum rursus in hac calamitate sit & ipsa misera.

Tunc autem eritis, si in tumultu vxoris huius mundi voluptates sepelitis, si seculi amorem abdicatis, si gloriam & honorem terrenum (quibus pro merito vestro abundatis) non diligitis, si cum sancta Paula ita vos ad Deum conuertitis, vt vxoris mortem id est, coniugalis thori absolutionem etiam optasse videamini. Et reuera sic congruit, cum meliores vitæ vestræ dies (vt pace vestra dicam) transferunt, & vita ipsa ad occasum vergat, magisq; cogitandum sit & providendum vobis de mausoleo, quam de palatio. Hæc autè præstantissime domine vt magnificentiæ vestræ scriberem, non me præsumptionis tumor, sed charitatis feruor adduxit. Quapropter ignoscite amanti, vt si verbosior fui, quam vel res exposulat, vel humilitatem meam deceat, non ex obliuione accidisse putetis vestræ excellentiæ, sed respectu magnæ erga vos confidentiæ. Pro coniuge autem vestra defuncta quotidie oro, vt debeat, & nuper cum Apostolicæ indulgentiæ haberem facultatem redimendi animam ex purgatorio per preces certas &c. quod pro huiusmodi negotio fieri debuit, feci, & pro anima eius liberanda Deo obtuli. Valetè magnificæ domine quam felicissimè in charitate consolationeq; Spiritus sancti.

Hominem qui beati efficit. Hieron. Quibus potissimum presentia sua despicienda.

Tendere in Deum quid sit, quomodoque quisque conueniat id debeat, exercitijs cuiusmodi præcipue religiosus ac Prælati se occupare debeat.

Epistola IV.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIVS, CARTHVS.
cuidam religioso Patri, spiritum gratiæ & consolationis.

Reuere[n]de Pater, quæ nuper exposueram loquendo omnino vestra paternitas desiderauit vt liceret vobis commendarem. Quæ vestram humilitatem confidens, admonet, nō superbus esse id est, non negare, sed obtemperando meam inscitiam prodere. Primum fuit, quid sit tendere in Deū: & placuit similitudo vo-

M 3

bis

Vt se habeat
peregrinus
cupiens re-
dire in pa-
triam.

his dicta. Interim tamen alia occurrit: accipite & illam. Est aliquis inter a-
lienos cupiens redire ad patriam atq; parentes. Assumpto itinere, accinctus
iam tendit in patriam seu ad parentes. Propterea vadit, ambulat, viaticum
portat aut mendicat, iter inuestigat, sudat, laborat, & vt simul dicam omnia
quicquid agit, ideo agit, vt ad patriam citius veniat. Interroganti quo ten-
dat, respondet, in patriam, vel ad parentes, vel aliud scilicet, quo animus eius
dirigit actus eius & operam, vt perueniat. Non edificat, non moratur in iti-
nere parum aut nihil de ijs quæ occurrunt in itinere se occupat: quæ itineris
sunt cuncta sibi aliena existimat. Si delectabilia videt, transiit, & vidisse sibi
fatis est. Breuiter, cuncta vitat ac præterit quæ sibi impedimentum aut mo-
ram generant in itinere. Nec tamen quod fatigatur, ad finem citius asseque-
dum duntaxat ordinat, sed etiam quod quiescit, & cursum suum interpola-
ta requie retinet. Ideo quiescit, ideo se continet, vt progrediatur, & citius
perueniat. Vt enim cursus eius immoderatione non prorsus prohibeatur,
quiescit aliquando vt resumptis viribus longius gradiatur. Non hic sepe ten-
dit in patriam, sapissime actu etiam cogitando, ne seipsum impediatur, ne-
ve ab alio detineatur? Ille itaq; simili modo tendit in Deum, qui abiectis o-
mnibus quæ elongant aut impediunt, & assumptis quæ coniungunt, aut cõ-
iungere videntur Deo, ordinat sua singula ex generali primo suo instituto,
& etiam actualiter quotiescunque aliquid ordinandum occurrit singulari-
ter, ad inueniendum, semper cogitandum, amandum, sentiendum Deum,
ad placendum & inhzredum eidem stabilitur. Itaq; ille est finis & destinatio
animi sui, nõ quem semper attingit (imò sapius aberrat vel abducitur) sed
quo se dirigit, & pertingere ac stabilire se cupit. Hæc Reuerenda paternitas
vestra, melius puto iam capit, q̃ ego explanare possum.

Quis quo-
modonam
tendat in
Deum.
Finis boni
hominis
quis sit.

Vt sit cor
effundendū
quotidie co-
tam Deo.
Gratiarum
actio.
Oblatio
Deo quæna
quotidie fa-
cienda.

Alterum fuit de vltima effusione cordis ad Deum quotidie. Adorans cū
venia, gratias agat Deo pro omnibus & singulis beneficijs sibi, & cuiuscunq;
creaturæ collatis, quæ innumera sunt quæ singulis Deus fecit non cognoscē-
tibus, aut non gratias agentibus. In persona igitur omnium & singulorum
gratias agat pro singulis in vna summa. Offerat eidem omnia B. Mariæ &
Sanctorum omnium passiones ac merita, in vnione simul omnium merito-
rum vitæ ac passionis Christi &c. & rogetur ipse Christus, vt per suauissi-
mum cor suum, simul & sua, & in suis hæc omnia, tanquam vnum & suum
meritum Patri suo offerat, pro illo scilicet orante, & pro vniuerso mundo
.i. pro singulis: orans etiam post generalem illam oblationem, respiciat ad
suam inopiam, tanquam omnium maximam & egentissimam. ideo magis
ex humilitate, q̃ ex inclinatione præuata seipsum singulariter tanq̃ omniū
pauperimus petat p̃ se illa Patri per Christum offerri, in remissionem o-
mnium peccatorum, & suppletionem omnium negligentiarum suarum. Pe-
tat iterum à Christo sibi dimitti peccata sua & ingratitude nimiam. De-
inde petat contritionem intentissimam atque Deo gratissimam, qua in hac
vita ab omnibus mereatur & culpis pœnis expiari &c. Petat nem̃ emendati-
onem vitæ suæ, & imitationem vitæ Christi, secundum vltimum atq; perfe-
ctissimum beneplacitum eius. Petat item profundissimam perfectissimam-
q; à Christo acceptissimam humilitatem, cum sancto odio & displicentia
suis ipsius. Item perfectam patientiam, qua omnia de manu Domini desiderā-

Obsecratio
pro contri-
tione vera.

ter atque hilariter accipiat: inter quæcunque aduersa semper Deum laudet, gratias agat, & benedicat &c. Castitatem item, mitatem, charitatem ardentissimam, intensissimam, perfectissimam, fidelissimam atque perpetuam quæ in se omnem alium amorem à Deo alienum exurat, & medullitus eradicet: similiter omnem amaritudinem, lituorem, iram, & quicquid charitati aduersatur extinguat, & mortificet. Iterum, petat se impleri vulneri, absorberi, atque vniri Deo perfectissima charitate vt dicendo verbi gratia, ad Deum: Ex toto corde, ex tota anima ex tota mente, & totis viribus, & ex omnibus medullis te diligam, te solum cogitem, te solum desiderem, tibi soli placere cupiã, tibi soli inhereã & omnes vires, omne tempus vitæ meæ, ac quicquid sum ac possum, in gloriam & beneplacitum tuum expendam. Deinde, resignet se in beneplacitum diuinum per omnia, petatq; sibi dari à Deo semper perfectissimam ac plenissimam sui abnegationem & resignationem in diuinum beneplacitum. Postremo, hæc omnia in vna summa petat & pro filijs suis spiritualibus, quos commendat Deo, vt eius filij sint, & ipse trahat eos in se, faciatq; in cordibus illorum locum sibi, vbi singulariter ipsum defectet habitare & manere. Oret simili modo pro confederatis, vt Deus illos sibi federe inuolabili coniungat, nec vnquam à se separari patiatur &c. Oret pro benefactoribus, vt illis pro te Deus retribuatur & benefaciat, intendens & optans omnia illis donari à Deo quæ pro seipso petiuit. Item pro singulariter se commendantibus, vt vnicuique secundum quod ipse nouit ad salutem cuiuscunque & ad gloriam & beneplacitum suum tribuat. Pro defunctis, vt sanguinis sui refrigerium in purgatorium stillare, imò manare faciat (& consolationem ac liberationem illis impendat) quo ardens pena extingatur. Et generaliter pro Ecclesia, aut occurrentibus causis, quibus vult. Hæc Reuerende Pater scripsi P. V. non aliqua temeritate, sed vera adductus charitate. Quæso ignoscatis, mihi, si liberior fui & oretis Deum pro me.

In seculo quot sint quæ à via salutis impediunt occasiones: monastici instituti encomium: mundum relinquere quid sit, quoque id pacto liceat.

Epistola V.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIUS, CARTHVS. suo familiari amico Gerhardo, diuitijs opinione, moribusque candidis ornato, Iesum Christum, qui cum diues esset propter nos pauper factus est: qui cum esset Rex regum & Dominus dominantium, filius voluit esse virginis pauperis, pauperis fabri alumnus, & velut nihil proprium habens in terris, adeo, vt in cruce non esset ei locus vbi caput reclinaret, factum pro te opprobrium hominum & abiectionem plebis, tanquam leprosum, iuxta verbum Esaie humiliatum & percussum à Deo cum esset filius Dei, in salutem.

Motum.

Matt. 22.
Luc. 10.

Resignatio
sui vera vt à
Deo petenda
sit.

Oret pro filijs
spiritualibus.

Pro confederatis vt
o-
randa sit.
Pro benefactoribus vt
orandum.

Pro speciatim se
commendantibus
vt orandum
sit.

Pro defunctis vt sit
orandum.

Pro Ecclesia
vt sit orandum.

Cor. 8.
Apoc. 19.
Luc. 12

Matt. 8.
Psal. 21.
Esa. 53.